

## B.

Anno Domini M<sup>o</sup>CCC<sup>o</sup>XXVIII<sup>o</sup> in vigilia Petri et Pauli apostolorum dixit Conradus dictus Kaghe, miles strenuus, in castro Langensten in mensa reverendi domini, domini Alberti, Halberstadensis ecclesie episcopi, nati de domo Brunswic, eodem domino et domino duce Hinrico fratre suo Hildensemensi canonico, domino Barnim de Wenden Halberstadensi canonico, domino Gunzelino de Berwinkil Hildensemensi canonico, domino Iohanne dicto Hoyen canonico Halberstadensi, domino dicto Ridesel preposito, domino Lippoldo Dulice, domino Hinrico dicto Kramme canonico sancte Marie et scolastico Halberstadensi, domino Wernero, domino Iohanne de Ciete, capellanis domini episcopi predicti, et me Themone<sup>1</sup> notario suo presentibus et aliis multis ad mensam servientibus fide dignis, quod cives Hallenses quendam monetarium ceperunt, quem pro falsa forte moneta accusaverunt ipsumque morti tradere firmissime proposuerunt, preparato eciam vase, in quo ipsum igne cremare proponebant, ipse devote apud se in honorem omnipotentis Dei sepulcrum domini Burchardi felicitis recordacionis quondam archiepiscopi Magdeburgensis pro redimenda vita vovit cum vestibus quibus tunc indutus fuerat [et] cum aliis sacrificiis visitare; quo facto ipse omnibus videntibus tunc presentibus et nullis quicquam contradicere potentibus, manus tortorum evasit et eodem itinere predictum sepulcrum devocius visitavit ibique vestes omnes et sacrificium suum dimittens. Factum narrando rumor per civitatem venit Magdeburg quod dominus Burchardus archiepiscopus iterum novo miraculo coruscaret, consules vero civitatis Magdeburgensis egre ferentes huiusmodi rumorem querebant monetarium predictum interficere, qui iterum ab oculis eorum evasit, immo eis videntibus et nocere volentibus, tamen non potentibus recessit. Item accidit eodem anno, quod dixit dominus W.<sup>2</sup> capellanus domini episcopi predicti, qui fuit in civitate Magdeburg et audivit a multis civibus Magdeburgensibus, qui viderunt et audiverunt, quod quinque iuvenibus simul sedentibus et tractatum de huiusmodi miraculis habentibus, aliis credentibus, aliis vero contradicentibus, inter quos unus magis incredulus dixit, nullo modo esse credendum, nisi videretur mutus loqui et surdus audire et loquens loquelam perderet, unde addidit: sortem mittamus cum tesseribus et ex cuiuscunque iactu pauciora puncta in tesseribus apparuerint, si verum est, quod de eo dicitur, mutus permaneat; illis autem in hoc concordantibus et tesseres proicientibus apparuerent pauciora

1) Als Magister und Canonicus von St. Marien in Halberstadt im Urk.-B. des Bonifacius-Stiftes, Gesch.-Q. der Provinz Sachsen XIII, 113.

2) Wernerus, siehe oben Z. 12.